

Franciscus BARGIEŁ

**ADAMUS QUIRINUS KRASNODEBSKI SJ (1628–1702)
EIUSQUE PHILOSOPHICUM OPUS**

Introductio

Sub hoc titulo, sed lingua polona, publicata est in ephemeride „Archiwum Historii Filozofii i Myśli Społecznej” (Warszawa 1981, t. 27, p. 291–332) 40 paginarum dissertatio de uno e bene meritis in philosophico campo Societatis Jesu auctoribus saeculi XVII. Cuius brevis latina synthesis pro „Fori Philosophici” lectoribus hic proponitur. Auctor enim ille breves solum hucusque obtinebat notitias, ast ipsius *Philosophia Aristotelis explicata* [...], anno 1678 publici iuris facta, accuratiorem visa est mereri ac postulari considerationem. Aperte dictum est ita in quadam ex eius recensionibus. En ratio praesentis articuli de vita textuque publicato ab Adamo Quirino Krasnodębski.

Vitae curriculum

Natus est ille die 8 Decembris 1628 a. in Poloniae regione Lithuaniae vicina, Subsilvania dicta, unde „Subsilvanus” nominabatur. Mortuus est autem Varsaviae 14 Martii a. 1702. Societatem Jesu in Lithuania Provincia ingressus est Vilnae 8 Augusti 1645, ubi etiam religiosae vitae tirocinium per biennium peregit. Philosophiam scholasticam (logicam, physicam et metaphysicam) in Pultoviensi SJ Collegio (Pultusk) studuit annis 1647–1650. Triennio philosophico peracto gramaticam docuit etiam per triennium in minoribus scholis Plocensis Collegii (Płock; 1650–1653). Deinde Brunsbergae (Braniewo) theologiae incepit studium, sed biennio solummodo persoluto, bellica enim Suecorum incursio in Poloniam („Diluvium sueicum”) devastavit dissipavitque Brunsbergense Collegium eiusque incolas exsulare coegerit. Krasnodębski refugium demum Tyrnaviae in Slavia (Slovaquia, Słowacja) in austriaca SJ

Provincia obtinuit, ubi theologiae cursum continuavit ac finivit (1655-1657), sacerdotalem suscepit ordinationem atque aliquot annis (ad 1661 a.) pastoralem agebat curam.

In Patriam suam in Lithuania Provincia reversus, ad paedagogicum directus est ministerium, ad varias disciplinas diversis in scholis tradendas. Decem annis (1661-1670) rhetoramicam docuit in collegiis Pultoviensi, Reslensi et Plocensi (Pułtusk, Reszel, Płock). Triennio sequenti collegium Lomsense (Łomża) qua eius rector gubernavit. Reversus Pultoviam (Pułtusk) tribus annis philosophiam docuit: logicam, physicam, metaphysicam (1674-1677), sequenti vero anno Dioecesanum rexit Seminarium. Anno 1680 Varsaviam est translatus ad theologiam docendam, attamen quartum huius cursus annum in Vilnensi peregit Academia suae doctoralis promotionis causa. Iterum Varsaviam reversus est qua theologiae iurisque canonici professor (1684-1686). Per sex ulteriores annos (1686-1692) rectoris munus in Nieśwież (nunc in Alba Russia) et in Płock successive gerebat. Ultimum autem decennium (1692-1702) Varsaviae transegit in iuris canonici cathedra atque tamquam studiorum scholarumque praefectus.

In eius multifaria operosaque activitate primum evidenter locum tenet docendi variis in disciplinis munus, quocum pariter studiorum, scholarum, collegiorum administrationem iungebat. Non aliena ei erat etiam animarum cura sacraque praedicatio in foro praesertim interno religiosae domus peragenda qua pater spiritualis, confessarius domesticus, exhortator variis in locis. In officiali de ipso testimonio Romam misso anno 1665 dictus est: „aptus ad docendum in humanioribus ac superioribus gradibus, ad contionandum, ad colloquium, ad gubernandum, ad res oeconomicas et ad missiones”. Anno autem 1700 brevius concinniusque est recensitus: „aptus ad speculationem, canones et gubernationem”.

Scripta edita

E philosophico magisterio praecipuum ipsius opus scriptum prodiit typis promulgatum sequenti anno post expletum cursum, ad prelum approbatum 10 Junii 1677 sub titulo: *Philosophia Aristotelis explicata per P. Adamum Quirinum Krasnodębski Societatis Jesu*, Varsaviae, Typis Elertianis 1678, 12°, 436 folia. E theologica similiter didactica activitate aliquot orta sunt minora scripta typis edita thesiusque collectanea pro disputationibus scholaribus, scl.: *Assertiones ex universa theologia*, Varsaviae 1683, 4°, 166; *Corona divinae sapientiae ex theologico quadriennalis studii privilegio contexta*, 1683; *Theologicae SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae assertiones de Verbi Divini Incarnatione*

propugnatae, A. D. 1683; *Suspensio indulgentiarum, remissionum, facultatum sub magno Anni Sacri Jubilaeo explicata per P. A. Qu. Krasnodębski S. J.* (sine loco et anno).

Proprius philosophicus textus, de quo hic et nunc potissimum agitur, peculiari praeceditur singularum operis partium Coeli Incolis dedicatio ne in solidaritatis inter scientiam et devotionem testimonium. Itaque Logica Divinae Trinitati consecrata est, Physica – Deo Homini Deiparaeque Virgini et Metaphysica (anima omneque ens) – Mariae, Reginae Poloniae ac Patronae in hereditariis Domini F. Bieliński, Ensiferis regalis (Regni Poloniae) bonis. Ipsum philosophicum scriptum sex partibus-tractatibus construitur, qui ulterius in assertiones, paragrap hos et numeros dispescunt. Quorum primus et secundus logicam attinent, tres ulteriores – physicam, sextus vero – metaphysicam omnesque ad convenientia Stagiritae scripta referunt.

E tripartita peripatetico-scholastica philosophia in Krasnodębski scripto plurimum spatii considerationisque Physica obtinuit (dimidium textus in tribus tractatibus), minus – Logica (duos tractatus), minimum – Metaphysica (unum tractatum in centum paginis). Non datur tamen plena inter dictas problematicas segregatio; metaphysicae interiectiones tam in Logica quam in Physica inveniuntur. Non adest pariter plena inter philosophicas theologicasque conceptiones sententiasque discretio; in thesibus probandis difficultatibusque resolvendis biblico-ecclesiatici textus invocantur ad intellectuales rationes iuvandas.

Doctrina philosophica

Logica – Adami Quirini per se est formalis naturae – sd. dialectica, quae circa tres mentis actus versatur considerans explicansque conceptus, iudicia, ratiocinia modosque ipsis in cognoscitiva practica utendi. Fere non datur in ea stricte dicta criteriologia, veritatis, certitudinis ac obiectivismi cognoscitivi quaestio, quae omnia indubia scholasticae et Aristotelis praesupposita constituunt. In formali et methodologico aspectu attentionem gignit alia a traditionali operationum mentalium dislocatio, quatenus primo loco ratiocinia ac syllogismi ponuntur, deinde iudicia, conceptus vero loco ultimo; in iudiciorum autem ac conceptuum ambitu prius eorum signa externa attenduntur, scl. propositiones et termini, quo in procedendi modo futurarum logicae formarum indicia videri licet.

Physica – non est experimentalis sensu moderno scientia, sed naturae philosophia (cosmologia, etiologia, psychologia). Ex experientia solummodo exempla desumuntur ad consideratum problema melius

enucleandum apta. Successive tractatur in ea: de corpore naturali, eius structura et proprietatibus; de multimoda causalitate in mundo creato (materiali, formali, efficienti, finali, exemplari), eius realitate, natura legibusque, quibus regitur nec non de divina activitate ad extra, de Deo agente et causante, creante et conservante in esse mundum animamque humanam atque divino de concursu cum creaturarum operationibus; ulterius de entis materialis categoriis: de quantitate, motu, loco ac tempore; de corporum mutabilitate viventium et anorganicorum substantiali accidentalique (ortus, interitus, nativitas, mors, transmutatio, auctio, intensificatio, corporum compositio); tandem de animae problemate tam in genere qua vitae motusque immanentis principio quam in peculiari de rationali ac libera anima humana. Utraque animae species defenditur et explicatur; in unoquoque homine una tantum anima esse asseritur, quae corpus informat simulque praeter rationalem sensitiva et vegetativa praedita est virtute. Est illa immaterialis, spiritualis immortalisque e sua natura, per se ipsam operans cognoscitive ac affective. Potentias facultatesque rationales, intellectum scil. ac voluntatem quoque possidet, identificatas tamen cum seipsa, cum ipsius essentia.

E speculativa physicarum quaestionum tractatione tales phantasticae conceptiones provenerunt ut „quinta essentia” ad coelum explicandum, stellarum in quodam coelesti fluido immersio, quattuor corporum constitutiva elementa (terra, aqua, aér, ignis) ab antiquitate hereditata, in psychologia vero „spiritus animales seu vitales”. Empirica e contra provenientia conspici potest in intellectualis cognitionis genesi evolutio-neque, quae a sensitivis impressionibus procedit tenditque ad abstracta et generalisata, a materialibus ad spiritualia, ab accidentibus ad substantias, non deductivo ergo modo, sed inductivo.

Metaphysica – pauperrima est valdeque concisa, delineans solummodo motas in ipsa quaestiones: entis conceptum, eius proprietates (unum, verum, bonum), essentiae ad existentiam habitudinem (distinc-tio logica perfecta), suppositi et personae necnon accidentium naturam. Non habetur in ea fundamentale entis problema, id est eius analogiae quaestio, cui quin etiam contrariari videtur thesis recepta de perfecta entis conceptus unitate, quae ad eius univocitatem potius quam ad analogiam dicit.

Krasnodębski philosophia contextu historico-discussivo est praedita, quatenus variae sententiae in aliqua quaestione propositae attenduntur; nec non difficultates, argumenta pro et contra diligenter explorantur, ut ex istarum opinionum rationumque concertatione distinctionis ope sententia thesisque propria demum trahatur, persaepe probabilis tantum.

„Ridiculitates” – iuxta hodiernum iudicandi modum – quae in *Philosophia Aristotelis explicata* inveniuntur, non sunt peculiares ipsius Krasnodębski conceptiones, sed generales istius temporis doctrinae ab antiquitate hereditatae nec tantae sunt, ut valore scientifico totum eius opus scriptum orbare possent, quod illis defectibus non obstantibus solidum, criticum ac pro tempore progressivum censeri potest ac debet, tam quoad ipsam doctrinam, quam etiam in eam proponendi modo.

Bibliographica

De Krasnodębski amplius spatiosiusque praeter F. Bargieł scripserunt: W. Wąsik in sua *Historia filozofii polskiej* [Philosophiae Polonae Historia], t. I, Warszawa 1958, p. 69-70; R. Darowski, *Stan obecny i perspektywy badań nad filozofią w szkołach jezuickich w Polsce (XVI-XVIII w.)* [Hodiernus status perspectivaeque inquisitionum circa philosophiam in scholis SJ in Polonia (XVI-XVIII s.)], „Archiwum Historii Filozofii i Myśli Społecznej”, t. 24: 1978, p. 242-243; Z. Ogonowski in opere cui titulus: *700 lat myśli polskiej. Filozofia i myśl społeczna XVII wieku*, t. II, Warszawa 1979, p. 255-257; L. Grzebień, *Słownik Polskich Teologów Katolickich*, t. II, Wwa 1982, 414-415.

Ex auctoribus et publicationibus extraneis citare oportet: R. Plečkaitis, *Feodalismo laikotarpio filosofia Lietuvoje* [Philosophia aetatis feudalismi in Lithuania], Vilnius 1975, p. 153-154; J. et W. Jadacki, *Encyclopédie philosophique universelle*, t. III, p. 1, Paris 1992, p. 1250-1251.

Franciszek BARGIEŁ SJ

ADAM KWIRYN KRASNODĘBSKI SJ (1628-1702) I JEGO FILOZOFOFICZNE DZIEŁO

Pod tym tytułem ukazała się rozprawa monograficzna w „Archiwum Historii Filozofii i Myśli Społecznej”, T. 27, 1981, s. 291-332. Powyższy tekst podaje jej streszczenie w języku łacińskim dla tych czytelników „Forum Philosophicum”, którzy nie znają języka polskiego. Jest to zarazem poszerzony przekład z polskiego na łacinę biogramu-hasła o Krasnodębskim przygotowanego dla *Powszechnej Encyklopedii Filozofii*, wydawanej w Lublinie (KUL).